



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

lesu Christi Annus. M.DC.XXX. Sancti Patris Benedicti. M.C.L.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

SS. Oth-
marus &
Norkerus
translati.

strorum pios ubique locorum, in re-
suscitando primævo Spiritu, conatus
mortalibus immortales se ingerunt, ac-
que admirandis prodigijs Helvetiæ,
Sueviæ, vicinisque regionibus illuce-
scunt, eximia Ordinis nostri sydera,
Sancti Othmarus & Norkerus, Sangal-
lenfès olim Ascetæ, insigni etiam pom-
pa, post tot sæculorum, ab eo quo de-
cessere decursu, honorati & solemni-
ter translati. Ut ipsi etiam cœlites,
reflorescentibus primævo flore Cæno-
bijs applaudere, & denovo, suis in terra
convivere velle viderentur. Cæte-
rum, si virorum hoc ipso anno & tem-
pore, cum perfectionis, tum eruditionis
laude celeberrimè inire, numerum
conemur, verendum omnino, ne rem
supra vires, imo ne immensum atque
innumerabile aggrediamur: tantus ubi-
que est, ut virorum doctissimorum
& Religiosissimorum, oris confessio-
ne, & scriptis manu propria literis
prædicam audierimus & legerimus,
quotquot in Lotharingia, Burgundia,
& Francia, quotquot in Hispania, quot-
quot in Anglia, Scoria, Hibernia, vi-
derint tot recentium Ordinis Refor-
mationum Religiosos, non homines,
sed incarnatos Angelos & vidisse & au-
diisse. De Germania nostra extat præ-
clarissimè, testis omni exceptione ma-
joris, serenissimi Guilielmi Rorariorū
Ducis assertum, ad serenissimum fra-
trem Electorem Coloniensem; quod
eandem vertimus: *Meismet, inquit, vidi
oculis, majorem Monasteriorum partem, &
eorum præcipua, tam insinguler reformatam,
& in statu tam bono, de quo quisque cor-
dicitus gaudet. Et: Veniens ad Monaste-
rium ejusmodi aliquod, videre mihi visus
sum, verum antiquum zelum & pietatem,
prout ea instituta erant, sine dubio, à prin-
cipio, & prout de his in Veterum monumen-
tis scriptum scimus, &c. Ita, de refor-
mationis nostræ rudibus tunc initijs
tantus Princeps anno 1597. multo dein-
ceps ferventius, latiusque invalescentis,
& usque hodie, omnium bono-
rum oculos animosque rapientis. De
Congregationum autem, SS. Vitoni,
& Mauri in Gallijs, Burgundia, Lo-
tharingia, &c. Monachis talia veneran-
dæ memoriæ Vir P. Stephanus Vitus
Societ. Jesu Presbyter magni nominis
Theologus, scripsit pro exhortatione
& consolatione superioris Germaniæ*

Commen-
datio sta-
tus Mona-
stii.

Ducis Es-
sar. T. pi.
monium.

Angelici
viri in Cen-
greg. SS.
Vitoni &
Hydulphe.

Religiosorum, ut non possint à Reli-
giosis majora expectari: dum ipse ob-
stupuisse se faceretur talia videndo, &
revera Angelorum Choris interfuisse,
expertumque non hominum sed cœ-
lestium civium charitatem, idem con-
fidentibus omnibus, qui per ejusmodi
Monasteria transferunt. Nec minor
Candidorum Fratrum nostrorum per
Hispanias maximè sanctitas, & hinc
fructus exempli omni prædicatione,
potentior, in sacra familia nostra Ci-
sterciensi, ut alia Regna & Provincias
taceamus: è qua hoc ipso etiam anno
& tempore occurreret magnus omni-
no numerus enumerandus, è quibus to-
tiorbi cognitus Reverendissimus Do-
minus Angelus Manrique, post ingen-
tia magni ingenij monumenta, & vitæ
merita Magnus Calatravæ militiæ Pri-
or designatus, nec multo post Pacensis
Ecclesiæ constitutus Episcopus, Ludov-
icus Bernaldo de Queros, Spinæ Mo-
nachus, Generalis Congregationis Hi-
spanicæ Reformator hoc anno octua-
ginta annorum senex in Domino quie-
scens: Dionysius Cucho, Franciscus de
Riva de Neyra magna apud Philippū
IV. Hispaniarum Regem auctoritate &
plurimi alij.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXX.
Sancti Patris Benedicti. M. C. L.

I NCOMPARABILI SPLENDORE
& fragrantia Rosam, cœlis hoc an-
no asserit, suismet dignando manibus
Rex Regum terris ereptum; primo in
ortu Hortis Empyreis mæturum, cœli-
tibus gratissimum. Is fuit Gabriel Nu-
calensis Cænobij Novitius, dignè no-
mine suo, verè Mariangelus à teneris
unguiculis Virginum, Virgini com-
mendatissimus, Angelica morum ele-
gantia, vitæ puritate verè Angelus.
Ipsi, tam amici sibi nominis innocen-
tulo, verè ut pia, ut propria mater albæ
gallinæ filiolo, amantissimè Deipara
consuluit, & raro sane nostri extre-
mi sæculi exemplo, satis non habuit,
si ante oculos solum suos haberet, nisi
& ipsa tam dilectuli sui Gabrielis esset
in oculis, neque tam nutu, quam diser-
tâ & materna voce, quin & manus be-
neficæ ductu, quid faciendum ipsi be-
nevolentissimè ostenderet. Visibiliter
proin atque vigilantem apparuit, & fer-
ventiore tunc, ad acuratiorem Regulæ
San-

Ven Gabri-
el Nuca-
lensis.

Ipsam De-
para ad
Monasteri-
um dicit.

Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI observantiam in Hispanijs Cisterciensium nostrorum pio conatu, ut ijs se ad jungeret, & conmitteretur imperavit; namque id Institutum, Filio suo ac sibi per placere edocuit. Sed importunis, velut de meliore ex binis, quin & DEPARA, ut dicebant, chariore amplectendo, nonnullorum iustificationibus, Carmelitarum Dascalceatorum habitum induit, & velut de Voto in melius commutato primum gavissus, paulo post, per magnum miraculum, exire compulsus est. De consilio proin virorum pietate & doctrina praestantium, omnia quae circa se acta sunt Venerabili P. F. Francisco de Bivar Theologo celeberrimi nominis [necdum tamen nostris accensus] patefecit, qui ipsi illico satisfacere DEPARA iussis tam expressis voluit, & ad Monasterium summi tunc ab Religione nominis, destinavit, quem & ipse non multo post subsequutus, consilium & iussa Magnae Virginis Matris, ut & sibi convenientissima interpretatus, promptè acceptavit. Admisere libenter juvenem tam manifestae Vocationis Affectu Nucleenses, cuius facile erat spiritum & fervorem explorare, ut qui se prima fronte omnibus prodebant probabantque. Post multa proin signa miraculosa Regulam nostram, & cucullum sacro in Tyrocinio amplexus & indutus, mirum illico in modum in omni virtutum genere profecit, ut Angeli hominis alacritatem, inque Divinis rebus sublimitatem, mirarentur haud in merito universi, cum inter orandum coelestes expertus favores, saepe extra se factus in extasim raperetur. Multis tandem infirmitatibus in ipso anno Probationis exercitus, fractus, & gravissimis doloribus consumptus, ad extrema devenit, & ante obitum, Christum Dominum, recentibus plagis, & corona spinea redimitum, seque ad coelestem patriam invitantem conspexit. Excepit supremam, & Generalem quidem Angelici juvenis confessionem, praedictus Franciscus de Bivar, & favores, quibus à Christo Domino, ejusque gloriosa Genitrice affectus fuerat, plenius intellexit. Ex Relatione succincta ejusdem Venerabilis memoriae Francisci, ex quo, cum pro instituto litterarum in Hispanias commercio, ab eodem ple-

nus institui cuperemus & expetere-mus, inque vicem nonnulla quae ipse rogaverat submississemus, ad ejusdem caelestis Vitae fruitionem, ad Gabrielem nimirum suum evocatum intelleximus, & interesse necdum posse tam Amico consortio utriusque plurimum dolemus.

Celebrata longè lateque egregia Calvariensis Congregationis nostrae institutione & Virginum ejusdem sanctitate, multus ad eandem concursus est, ita, ut multa deinceps vel nova à fundamentis conderentur Monasteria, vel antiqua pari omnium in ijs degentium consensu, sacro illi rigori ultro sese devoverent, summaeque Nobilitatis & teneritudinis Virgines strictiorem hanc vivendi rationem summis animi Votis expeterent. In his fuit Illustrissima Domina Catharina de Roquelora, filia strenuissimi Ducis & Castrorum Pratoris Marecalli de Roquelora, quae calcatis omnibus, ipsa etiam, quae donata fuerat à Rege insigni Abbatia, ultro se abdicans, specialis DEI misericordiae vocatione & instinctu, in Parisiense Calvariae Canobium hoc ipso anno se recepit, superatisque immensis difficultatibus, undique sacro proposito objectis, Humilitati, propriae voluntatis abnegationi, carnis mortificationi addictissima, tanta animi demissione, tanta repuerescens in Christo animi ingenuitate omnibus juxta SS. Regulae dictata, obtemperabat, ut haud sui Juris unquam exitisse, frequentique inservientium turba seipsum in saeculo, sed vilem lixam abjectissimi munus fuisse mancipium dixisset. Quae tamen Virtutum arduarum praecellentissima ornamenta eo mirabilius in Catharina, elucescebant, quo magis nata & facta ad imperium, omnibus videbatur: utpote quae ingenio sublimissimo, iudicio acerrimo, mente illuminatissima esset, in ipsa honorum deliciarumque palestra liberalissime & splendidissime educata. Nunc verò paupertatis amantissima, aegre necessarijs ad victum amictumque utebatur, tabellas, numismata, imagines, aliaque pretiosissima vasa, quae secum è saeculo exportarat, libentissime dimisit, sola inopia & omni vilitate contenta, abjectissima, quaevis Religionis munia, summa animi alacritate suscepit & expedi.

Per suavis
Carmelitae
se junget.

Per miraculum
egredi con-
pellitur.

Ipse Novicius
Nucleensis.

Ejus Generalis
Confessio &
solus obitus.

Catharina
de Roquelora.

Mira ejusdem
Virtutes.

Sui contemptis
mirabilibus.

pedite obivit, obtinuitque scripto à Superioribus, voce activa, & passiva in omnibus electionibus privandam se esse, imo de facto privatam esse, semperque atque ubique locum sese novissimum occupaturam, non minore fervore contendens abjectissima omnium censeri, quam qui in saeculo inexplicabili honorum sui summa quaerere appetent atque exambirent. *Ex R. P. Amandi Tribout, & Calvariensis Congregationis dictatis.*

Adeodata de Lignevilla.

Evincit denique hoc etiam in superabili generositate & patientiae exemplo Adeodata nostra verè à DEO data & electa Vergevilensis in Austrasia, sive Lotharingia Germanica Abbatissa, quae in induendam Monasterio suo Reformationem, nullum non lapidem quam diutissimè moverat & insisterat; incredibili obstinatione, licentiosissimarum Monialium pro virili obtinente, & sanctissimo suae Anustitae proposito contradicente. Et quamvis, iniquissima juxta ipsa etiam oblectari viderentur tempora, Marte circum undique fremente, Suecis, Germanis, Ungaris, Croatis, Lotharingis pari omnes ferocitate omnia incessantibus & vastantibus; ipsa tamen invictissima animi constantia animosior tanto vehementius DEI, & Sanctissimi Patris sui B E N E D I C T I causam agere institit, quanto magis DEI gratia & protectione inter tot tantaque pericula opus esse intellexit, suisque persuasum voluit, effecitque demum, hoc, ut diximus, anno, ut major pars capta tantae patientiae & pietatis exemplis manus tam sanctis quam prudentibus monitis daret, ceteris quaquaversum ita accommodatis, ut conqueri non possent, adeo deinceps Numine rem prosperante, ut inter tot undique minitantes tempestates Monasterium non minus omnium rerum affluentia, quam Religione cresceret, tantumque evaderet ut omnium tota provincia fortunam & splendorem longè superaret. Crevit & numero non minus, quam ceteris rebus, cum, suadente maximè Reverendissimo sanctae memoriae Philippo Francois Abbate S. Agerici (quo in omnibus sapientissimo moderatore & consiliario utebatur) indifferenter secundum S. P. N. B E N E D I C T I Regulam tam Nobiles quam

Reformationis singulari studio.

Nobiles & Ignobiles admittit.

Ignobiles, nullas tamen alias, quam pias & devotas, humiles & obsequentes & Crucem post Christum constanter, ferventer, & perseveranter ferre volentes & expetentes, susciperet, & generosissimè exercitas atque in sacro Tyrocinio probatas ad Professionem admitteret. Ut nemo non miraretur Unam Virginem, talia actanta, contra tot obstacula & impedimenta, contra tot ruinas & adversitates bellicas, ipsam ferè assiduo adversa valitudine afflictissimam, praestare & efficere potuisse. Sed vigor mentis, Zelus Glorìae Divinae, desiderium observantiae, & disciplinae Regularis, sitis salutis animarum, & prudentia extraordinaria, ipsi non solum hae omnia facilia, sed etiam jucunda reddidere, DEO Opt. Max. pios ipsius conatus semper approbante & benedicente. *Ita prolixè Patres nostri Congreg. SS. Hydulphi & Vioni, qui satis depradicare non posse laudes & Virtutes tantae Antistitae fatebantur.*

Zelus Glor. Divinae.

Estulget hoc ipso etiam anno in Hispanijs admirandae perfectionis & eruditionis laude Reverendissimus Abbas Antonius de Perez noster, postea, ut dicemus, Caesar-Augustanus, pro eximijis vitae meritis, Archiepiscopus, toto jam orbe omnium ore atque literis celebratus, quem in tanto omnium applausu, tanto securius, superstitem etiamnum insigni praeconio efferre aulæ est, sanctissima Congregatio nostra Vallisoletana, quanto evidentius, nullis eum tangi, molliri, seu flecti posse laudibus, certum habuit, in tanta Universi acclamantis vocalitate surdum, laudumque ac meritorum suorum depradicatione, ignarum; gloriae certà deinceps immortalitate, saeculo ejusque praeconijs verè mortuum. Ita de ipso, & de ejus in SS. Regulam nostram Commentarijs, censuit ipse Reverendissimus Generalis Hispanicae nostrae Congregationis, & qui ob maturitatem judicij Censores ex Ordine sunt designati: *Invenimus Spiritu & nomine Antonium: in quo DEUS duplicavit annonam, dum panem vite & intellectus, non de dimidio integrat, sed integrum sine fractione frangit, quem parvuli (imo & magni) hucusque petierant, nec erat qui frangeret eis. Nec minora quae sequuntur: Miramur*

Ven. Antonius de Perez.

Elogium Rami Generalis & Censurum.

Gre-

Encomium
omni ma-
jus excep-
tione.

Gregorium illum Magnum, qui sanctus laboravit pro Sancto, dum BENEDICTI Sanctissimi Sui Patris scripsit vitam, non laborasse Doctorem pro Doctore, Magistri sui precepta denodantem. Miror hæc Commentaria præterijse Leandrum, Hldefonsum, Bedam, Anselmum, Cassiodorum, Rhabanum, & tot Doctorum turmas, qui sub sancta Regula militantes, nihil quod facerent, ex ea præterierunt; cur non quod docerent, cum Magni vocati sint in Regno calorum? Sed ut hi omnes, imo & exteri Patres, quin & Oecumenica Concilia, & sacri Canones ad Regulam ipsam appexisse videantur, non immerito ad Antonium nostrum sese ipsos suspicor reservasse, ut sub una apparerent mente, & sub uno pectore clausi: Commentaria hæc novissima, exquisierunt omnium Antiquorum sapientiam, & inventam tradunt, &c. Exrant omnia ipsius scripta Theologica, paulo post, quod speramus, summo rei literariæ & scholasticæ Theologiæ bono, typis orbi communicanda, quem haud immerito non nemo, summi nominis Theologus, licet diversi omnino Ordinis, Theologorum Hispaniæ Primatem & Principem appellavit. Neque talentum illud ipse abscondit, verum summo Hispaniæ ornameto, atque utilitate, ex celeberrimis Cathedralis, miro omnium applausu, Univerfo exposuit. *Ex Comment. ejusdem in Reg. S. P. N.*

Ejus ingenij
momimen-
ta ad atem-
nitatem
singularia.

Contendunt aliqui hoc anno Hispanijs ereptum eundem Antonium, coelis insertum, magnum revera Pontificem, etiam juratæ semel paupertatis tenacissimum, & in extrema paupertate mortuum, non in Cathedrali Ecclesia, sed in domo suæ Professionis sepeliri eligentem. Fuit Verbi Divini Prædicator verè mirificus, potens verbo & opere, cum jam Archiepiscopus, suo more è Cathedra peroraret, tanta cum reverentia ab omnibus certatim confluentibus auditus, ut nec excreare quisquam præsumeret, omniaque singuli ejus verba tanquam Angelico prolata ore inhiante exciperent, & cordi profundè imprimerent. Habèoque ex oculatorum sincerissimorumque testium fidè & asseveratione, tantum Archipræsulem, vultu & gestu omni omnem sanctitatem præterentem, ac sola fere cute & ossibus constantem, ubi primum Cathedralam

conscendisset, & in oculis omnium esset, etiam antequam verbum aliquod protulisset, tantos animorum concitasse motus, ut plerique compungi vehementissimè se sentirent, & in uberes lachrymas, alta suspiria & gemitus erumperent, ut hinc facile omineris, quantum deinceps ipso decursu orationis, vir illuminatissimus, zelosissimus & sanctissimus profecerit, in omni planè vita admirandus, cujus vita & facta integrum tomum mererentur. *Gasp. Scioppio, Stephanus v. v. Soc. JESU, ejus multis annis disc. & pl.*

Ipso hoc etiam anno ob insignia vitæ merita, è Cænobio S. Stephani ad ripam Silenlis fluvij in Regno Galliciæ extrahitur ad Episcopales Cathedralam & infulus Illustrissimus Dominus F. Christophorus de Aresti, quem tamen alij nunc Episcopali simul onere & vita functum contendunt.

Christo-
phorus de
Aresti Epi-
scopus.

IESUCHRISTI ANNUS. MDC. XXXI.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LI.

NON minus quam in disciplinæ primavæ restitutione, in literarij quoque studij promotione passim tota Europa laboratur, ita quidem, ut quod Joannes Scorus, Alcuinus Neotus, Lanfrancus, Rhabannus, alijque olim nostri, Doctissimi æquè ac Sanctissimi diversissimis in Regnis in se suscipere, ut Scholas instituerent, totasque provincias ad Liberalium artium studia pellicerent, sed & juxta Virtutis omnisque honestatis amorem discipulis instillarent, idem ipsum nostri etiam hodie, non minore industria facerent, quin & Majores nostros, eadem quidem moliendo, sed majora attentando, longè etiam superarent, cum vix hodie unum celebrioris nominis Monasterium reperitur, in quo non præter Humaniores litteras etiam Philoſoplica & Theologica studia summo in flore & vigore sint, & ex ipso gremio, lectissimæ notæ Professores alij alijs succedant, & quotidie alij & alij in eosdem labores & honores, incredibili cum excitatione animorum & ingeniorum, adoleſcant. Neque hoc solum in superiore Germania, sed & inferiore sive Belgio, de quo in suis ad nos hoc ipso anno 1631. die 12. Febr. datis Aubertus Miræus, celebri nomine scriptor, postquam & ipse nostro-

Litterarum
studia à
nostris pro-
moventur.

Florentissi-
ma hodie
in ipsis Mo-
nasterijs
studia.